Muzyka

Sztuki piękne. r 80.

Spangenbergii Joan: Quaestiones musicae. Cracoviae. s. a.

~~1016~~

QUÆSTIONES MUSICÆ,

In usum Scholæ Northusianæ,

Per

IOANNEM SPANgenbergium *Herdeß. collectæ.*

Cracoviæ.

IOANNES STIGELIVS IUVENTUTI.

CArmine ſi rigidos movit delphinas Arion,
Orpheus ſi ſtygios voce lyraq; Deos,
In laqueos volucres cantu ſi pellicit auceps,
Si ſalit ad certos urſa citata ſonos:
Cur non & noſtras oblectet muſica mentes?
Qui ſumus harmonicis membra ligata modis.
Ferreus eſt, duraſq; gerit ſub pectore cautes,
Quem juvet haud aliquo Muſica blanda ſono.
Ergo ades, & ſtudio rudis huic aſueſce juventus:
Quo ſine vix aliquid vita putanda tua eſt.

GEORGIO RHAV TYPOGRAPHO VITEMBERGENSI S. P. D.

QVanquam in hoc nostro ludo, Georgi charissime, iam multos annos Musica prælegeretur, animadverti tamen ex tanto puerorum numero, vix unum atque alterum esse, qui vel prima ipsius artis rudimenta caperet. Cupiens igitur studiosæ juventuti consulere, hæc erotemata Musicæ, in usum scholæ nostræ collegi, tuis maximè ac Martini Agricolæ Musici peritissimi adjutus lucubrationibus. Video enim perfacile esse studium, quod quæstionibus agitur, cujus rei quoque non desunt exempla. Qui enim potuit Dialectica ipsa accuratiùs, breviùs, & copiosiùs tradi, quàm à D. Philippo Melanchthone viro nostri seculi doctissimo, pulcherrimis ac lucidissimis interrogamentis tradita est? Vtinam ea ipsa aliquando typis excudatur. Præterea, quis non magno cum desiderio lecturus est deinceps Rhetorica, quando Georgius Maior studiosæ pubis formator egregius, omnem Rhetoricæ disciplinam, brevissimo ordine, tanquam fasciculo quodam lepidissimis quæstionibus comprehenderit? Et quid multa? habet hoc genus docendi faciles ad omnem disciplinam aditus. Quare hoc, quicquid est, mi Georgi, tibi dedico, ut quemadmodum sub Aiacis clypeo tutus Achilles, ita sub te, Musicorum præside, Zoilos effugiat. Vale, & me, ut soles, ama. Northusiæ pridie idus Augusti. Anno 36.

Ioannes Spangenberg.

EIVSDEM IOANNIS SPANGENBERGII AD FRUGI LECTOREM.

Qui cupit exemplo vocem exercere canoram,
Carmine, & argutum promere voce melos.
Quos libet & lepidis cantus resonare camœnis,
Et citharam digitis tangere dulcisonam.
Pangere quod plector cecinit crinitus Iopas,
Hebræusq; Tubal, Ambrosiusq; pius.
Quæ Linus, Amphion Dircæus, Lesbous Arion,
Quæque Orpheus docuit, tempore nosce brevi.
Hanc legat abreptam modulandi gnaviter artem,
Quæ vel disperеam, commoda multa feret.

PANEGYRIS MVSICÆ.

Nil Deus omnipotens homini jucundius unquam
E supera arce dedit, quàm musica plectra canoris
Vocibus, ac digitis dulci exercere palestra.

DIVERSVM MVSICÆ STVDIVM.

Diversum est istoc studium, diversa voluptas,
Hic placidis Divos numeris veneratur ad aras,
Hic calamo, fidibus, plector, hic præludit eburno.
Barbitrn alter agit, tum tympana, cymbala, chordas,
Organa, sistra, lyram, crotalum, citharamq; chelimq;.

MVSICA NATVRALIS.

Nec solùm humana formatur Musica voce:
In pratis volucres, campis, sylvisq; iugosis
Demulcent hominum variis concentibus aures.
Hymnidicum de fronde melos Philomela decantat.
Ludit & in dumis non flebile carmen Acantis
Strimoniaq; grues clangunt sub nubibus altis.

Porrò

Porrò ubi lympha strepit per saxa sonantia dulce,
Murmur agit gracilemq́; sonum, dulcesq́; susurros,
Sic mare velivolum, sic fontes, flumina, rivos,
Sic quoque Sirenes, fama est, depromere cantus:
Et Faunos, Satyrosq́; vagos tonare camœnas.
Concentant & aves, & apes, raucæq́; cicadæ.
Omnigenumq́; pecus terræ, atque animantia cuncta.

MVSICA VOCALIS.

Os tamen argutum, & vocalia guttura, & artem
Cantandi natura homini concesßit, & usum.
Divina hinc traxit præclarum Musica nomen.

INVENTORES MVSICÆ:

Hanc Tubal inprimis docuit: crescentibus annis
Pythagoras doctis acceptam tradidit Argis.
Mille modis nobis dedit inde Boetius auctam,
Ad certum lusit numerumq́; modumq́; vetustas.
Nunc addunt aliquid communem semper in usum,
Quod fuit ignotum, quæq́; intentata vetustis,
Concrepat hæc ætas, nec adhuc contenta quiescit.
Perstrepuere olim Divum cantoribus ædes.
Nunc prædulce melos Regum per tecta, Ducumq́;
Auditur, nihil in terris quod dulcius unquam.

LAVS MVSICÆ.

Musica nunc dignas habet & sua præmia laudes.
Vincit honore suas precio superatq́; sorores,
Phœbus ut immensi præcellit lumina cœli.

QVID SIT MVSICA?

Musica fida parens inopum, spes, anchora, portus,
Solamen, requies, miseros de pulvere tollens,
Cæsareo adjungit lateri, & regalibus aulis.
Divitias, hortos, ædes, & prædia, vestes,

Donat & illustres titulos, & nomina famæ.
Et quid multa loquor? Cantores æthera tangunt.
Cuncta per ora virum volitant sumuntq; quotannis
Aurea producta mercede numismata centum.

QVID POSSIT MVSICA?

Præcipitandus aquis pelagi citharœdus Arion,
Placabat dulci delphinum terga camœna,
Et cursu Oebalias celeri est advectus in oras.
Threicius vates & flumina traxit, & ornos,
Et scopulos, sylvasq; vagas, & plurima monstra,
Eurydicen cithara nigro revocavit ab Orco.
Carminibus certum est adamantina corda moveri.
Ipse stipem extorquet mendicus sæpe negatam.
Cùm jam cuncta silent, gratoq; sopore quiescunt,
Ante fores juvenis dilectæ pangit amicæ
Carmina, quotquot habet, nec frigora curat & imbres.
Sub vepribus densis latitans aut arboris umbra,
Arte sagax auceps pedicis & casse volucres
Ignaras fraudis cantu deludit amico.
Corpora Pythagoras docuit relevanda camœnis,
Ad dulces cantus dormire, & surgere jußit.
Hinc canit omnis homo, juvenis, vir, fœmina, virgo,
Civis, & agrestis, doctus, rudis, altus, & imus;
Alter & alterius languentes mitigat aures.

DE DEFINITIONE MVSICÆ.

Quid est Musica?

Est ars liberalis, rectas canendi formulas demonstrans. Vel: Est rectè canendi scientia.

DE INVENTORIBVS MVSICÆ.

A quo inventa est Musica?

Hebræi ferunt Tubal, Lamech filium, primum Musicæ inventorem, deinde à Mose & David excultam, auctam, provagatamq;. Græci Pythagoram, Mercurium, Zetum & Amphiona, Orpheum & Linum adserunt. Latini Boetium Romanum.

Cur inventa est?

Propter eius artis jucunditatem, & mirabiles effectus.

Qui sunt Musicæ artis effectus?

Musica Deum ipsum placat, animos hominum mira suavitate demulcet, curas eximit. Et ut Poëta agit, miscet utile dulci. Nulla enim est ætas, quæ non oblectetur concentibus, laborantum mitigat labores, fessos mitigat artus, infantes quoq; ad nutricis concentum conquiescunt.

Vnde habet nomen?

A musa, quod valet cantus. Inde Musica, cantandi scientia. Et Musicus, cantandi peritus.

DE DIVISIONE MVSICÆ.

Quotuplex est Musica?

Duplex. Theorica & Practica.

Quid est Musica Theorica?

Est quæ circa ingenii contemplationem & cognitionem versatur.

Quis est eius finis?

Scire. Nam Musicus Theoricus, est qui artem novit, verum hoc ipso contentus, nihil de ea scribit vel docet.

Quæ

Quæ est Musica Practica?

Est quæ non solùm ingenio delitescit, sed in opus quoque erumpit.

Quis est eius finis?

Agere. Nam Musicus Practicus est, qui ultra artis Musicæ cognitionem, cæteros etiam docet, atque artis præcepta tradit.

Quotuplex est Musica Practica?

Duplex. Instrumentalis & Vocalis.

Quæ est Instrumentalis?

Est quæ concentum perficit, aut flatu, ut tibiis, aut manu, ut cithara.

Quæ est Vocalis?

Est quæ humana voce melos efficit.

Quotuplex est Musica Vocalis?

Duplex. Vsualis & Regulata.

Quæ est Vsualis?

Est quæ sola inclinatione naturali procedit, carens artis legibus & principiis, quibus regi deberet.

Quæ est Regulata?

Est quæ certis præceptis & regulis canendi constat.

Quotuplex est Musica Regulata?

Duplex. Choralis & Figuralis.

Quæ est Musica Choralis?

Est quæ in suis notulis æqualem servat mensuram absq; incremento, vel decremento prolationis. Hæc & Plana, & Gregoriana, & vetus musica dicitur.

Quæ est Musica Figuralis?

Est, cuius notæ & figuræ inæquales sunt, & mensuram variant secundùm signorum & figurarum inæqualitatem, cum incremento & decremento prolationis. Hæc & mensuralis & Ambrosiana & nova musica dicitur.

Circa

Circa quid versatur Musica?

Circa sonos instrumentorum, & vivas hominum voces.

De quibus potissimùm agit Musica Choralis?

De clavibus, vocibus, cantu, mutationibus, modis & tonis

DE CLAVIBVS.

Quid est clavis Musicalis?

Est reseratio cantus, vel est vocis formandæ index. Est enim aggregatum ex littera & voce. Principium clavis littera est, finis verò vox.

Da Exemplum.

In Are, A est littera, re vox. In ♮ mi, ♮ est littera, mi, verò vox. In Cfaut, C est littera, fa & ut voces. Ita de reliquis dicendum.

Quod sunt claves Musicales?

Viginti. Scilicet, Γut, Are, ♮ mi, Cfaut, Dsolre, Elami, Efaut, Gsolreut, alamire, bfa♮mi, csolfaut, dlasolre, elami ffaut, gsolreut, aalamire, bbfa♮mi, ccsolfaut, ddlasol, eela. Bfa♮mi tamen non est una clavis, sed natura duæ. Sic & ejus octava bbfa♮mi, quod ex ejus mutationibus, vocibus ac instrumentis probatur.

Quare dicuntur claves?

Quia sicuti clave aperiuntur ea, quæ abstrusa & in penitißimis angulis occlusa jacent. Ita per claves musicales totius cantus vis ac natura reseratur.

Differuntné inter se claves?

Immo, Positione, figuratione, & appellatione, hoc est, ordine, figura & nomine.

DE ORDINE, FIGVRA ET nomine clavium.

Quotuplex est ordo clavium?

Triplex. Capitalium, Minutarum, & Geminatarum.

Quot sunt claves Capitales?

Octo, Γ, A, ♮, C, D, E, F, G. Ex his primæ quatuor dicuntur graves, reliquæ quatuor finales.

Quare dicuntur capitales?

Quia capitalibus & grandiusculis litteris scribuntur.

Quare Γ, A, ♮, C, dicuntur graves?

Quia gravem sonum, respectu aliarum emittunt.

Quare D, E, F, G, dicuntur finales?

Quia omnis cantus regulariter in his clavibus desistit.

Quot sunt claves Minutæ?

Septem. a, b, c, d, e, f, g. Ex his primæ quatuor dicuntur affinales sive acutæ, reliquæ superacutæ.

Quare dicuntur minutæ?

Quia pusillis litteris scribuntur.

Quare a, b, c, d, dicuntur affinales?

Quia in his clavibus cantus transpositus desinit.

Quare dicuntur acutæ?

Quia acutiorem sonum emittunt.

Quare reliquæ dicuntur superacutæ?

Quia super acutas ponuntur.

Quot sunt claves Geminatæ?

Quinque. aa, bb, cc, dd, ee. Hæ dicuntur excellentes.

Quare dicuntur Geminatæ?

Quia duplicatis litteris scribuntur.

Quare dicuntur excellentes?

Quia omnes alias suo sono excellunt.

Ad quid prodest scire claves musicales?

Vt per eas ducamur ad cognitionem vocum sive notarum, quæ occlusæ jacent inter lineas & spatia. Nemo enim ritè unquam modulabitur, nisi perfectè sciat clavium naturam atque propietatem.

Vbi possunt hæc discerni?

In scala musicali, quam hic pueris ob oculos posuimus.

SCALÆ

SCALÆ MVSICALIS TYPVS.

CLAVES

		ee	la
		dd	la sol
Geminatæ	Excellentes	cc	sol fa
		bb	fa ♮ mi
		aa	la mi re
		g	sol re ut
	Affinales	f	fa ut
Minutæ	Superacutæ	e	la mi
	Acutæ	d	la sol re
		c	sol fa ut
		b	fa ♮ mi
		a	la mi re
		G	sol re ut
		F	fa ut
Capitales	Finales	E	la mi
		D	sol re
		C	fa ut
	Graves	♮	mi
		A	re
		Γ	ut.

Omnes claves ab eadem littera incipientes, distant per octavam.

Quid est Scala Musicalis?

Est mutationum in cantu musicali contingentium juxta ascensum & descensum clavium & vocum earundem ocularis ostensio, & manifesta explanatio. Vel est vocum, mi & fa, in bfa♮mi, & octavis ejus cognitio.

Quare dicitur Scala?

Quia sicuti in ædibus per scalam gradus ascenditur & descenditur: Ita in cantu; de clave in clavem, de voce in vocem, de linea in lineam, de spatio in spatium ascenditur & descenditur.

Ad quid valet Scala Musicalis?

Vt pueri videant quæ clavis ponatur in linea, & quæ in spatio. Deinde quod syllabas aut voces singulæ claves habeant. Nam propter clavium & vocum diversitatem, scala inprimis tradenda est, quam qui ignorat, quasi cæcus in ignota regione versatur, nec certi quicquam de cantus natura, deq; vocum mutationibus & earum progreßionibus scire potest.

Quotuplex est Scala?

Triplex. Scilicet ♮duralis, bmollis & ficta.

Quæ est Scala ♮duralis?

Est vocum musicalium progreßio, scandens ex a in ♮ duriter, hoc est per vocem mi.

Quæ est Scala bmollis?

Est vocum musicalium progreßio, scandens ex a in bmolliter, hoc est per vocem fa.

Quæ est Scala ficta?

Est quæ in quacunque clave admittit vocem peregrinam, nempe Vt in Elami, re in Ffaut, mi in Gsolreut, fa in alamire, &c. contra naturam clavium.

SCALA

SCALA ♮ DVRALIS.

	la		la
dd	ſol		ſol
	fa		fa
♮	mi		mi
	re		la
g	ſol		ſol
	fa	*Mutationes vocum in ſcala ♮ durali*	fa
	mi	*penes aſcenſum & deſcenſum.*	la
	re		ſol
c	fa		fa
♮	mi		mi
	re		la
	ſol		ſol
[illegible]	fa		fa
	mi		la
	re		ſol
	fa		fa
♮		*mi ♮ quadratum mi format.*	mi
	re		re
Γ	ut		ut
Aſcendendo.			*Deſcendendo.*

dd	la		la
	ſol		ſol
b	fa		fa
	mi		la
g	re		ſol
	fa		fa
	mi		mi
	re		la
c	ſol		ſol
b	fa	*Mutationes vocum in ſcala bmollari.*	fa
	mi		la
	re		ſol
♮	fa		fa
	mi		mi
	re		la
	ſol		ſol
b	fa	b rotundum Fa notat.	fa
	mi		mi
	re		re
Γ	ut		ut
Aſcendendo.			Deſcendendo.

SCALA FICTA.

	la	*la*
	ſol	*ſol*
b	*fa*	*fa*
dd	*mi*	*mi*
	re	*la*
	ſol	*ſol*
b	*fa*	*fa*
g	*mi*	*la*
	re	*ſol*
b	*fa*	*fa*
	mi	*mi*
C	*re*	*la*
	ſol	*ſol*
b	*fa*	*fa*
	mi	*la*
F	*re*	*ſol*
b	*fa*	*fa*
	mi	*mi*
	re	*la*

Mutationes in Scala ficta penes aſcenſum & deſcenſum.

DE VOCIBVS.

Quid conflatur ex clavibus?

Vox Muſicalis.

Quid eſt vox muſicalis?

Eſt ſyllaba qua clavium tenor exprimitur.

Quot ſunt voces Muſicales?

Sex: Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La.

Quotuplices ſunt voces?

Duplices: Inferiores & Superiores.

Quæ dicuntur voces infernæ?

Vt, Re, Mi.

Quæ

Quæ dicuntur voces ſupernæ?

Fa, Sol, La.

EXEMPLVM.



Quare dicuntur voces?

Quia omnis cantus per has voces ſæpius repetitas progreditur, & deprimitur. Non *quod eas vocum ſyllabas, ſed ſonos potius, per illas ſyllabas ſignificatos, canendo exprimimus.*

Suntné plures voces?

Non, *poſſent quidem aliæ cominiſci. ſed quia vulgaris Muſicorum conſenſus, in has voces conſpiravit, non eſt tutum alias adfingere.*

Differuntné inter ſe hæ ſex voces?

Imò, Aliæ ſunt bmolles. Aliæ naturales. Aliæ ♮durales.

Quæ ſunt voces bmolles?

Vt, Fa.

Quare dicuntur bmolles?

Quia mollem & effeminatum emittunt ſonum.

Quæ ſunt voces naturales?

Re, Sol.

Quare dicuntur naturales?

Quia naturalem & mediocrem ſonum efficiunt.

Quæ ſunt voces ♮durales?

Mi, La.

Quare dicuntur ♮durales?

Quia durum & virilem reddunt ſonum.

Ad quid prodeſt ſcire hanc vocum differentiam?

Iſta vocum differentia benè obſervata & cognita, dul-

cisonum reddit omnem cantum. Ideoq; pueris fideliter tradenda est, hauriunt enim ex ea agnitione, vocum musicalium proprietates.

Quid est proprietas vocum musicalium?

Est debita illarum in cantu naturalis deductio aut progreßio, sive ascendendo sive descendẽdo, hoc est, quod recto ordine inter canendum ascendant & descendant, secundùm cantus & notarum exigentiam.

Quot sunt proprietates vocum?

Decem, Tres in genere, & septem in specie.

Quæ sunt istæ tres in genere?

Tres cantus, ♮ duralis, naturalis, bmollaris.

Quæ sunt istæ septem in specie?

Septem deductiones sex vocum musicalium, in quibus continentur septem cantus, tres ♮ durales, duo naturales, & duo bmollares, ut patet in scala sequenti.

Da regulas de vocibus.

I.


Vt, in concentu aliarum vocum, caput est & principium.

II.

Voces supernæ in descensu. Infernæ in ascensu ritè proferuntur.

III.

Ad cuiuslibet cantus ascensum & descensum istæ sex voces non sufficiunt, cùm ultrà La non sit vox superior, nec infrà Vt, vox inferior, & tamen cantus plerunque ultra sextam ascendit vel descendit, quare neceßitas urget, ut istæ voces sese mutuo levent, juxta cantus ascensum vel descensum.



DE CANTV.

Quid conflatur ex vocibus? *Cantus.*

Quid est cantus Musicalis?

Est sex vocum Musicalium continua & apta digestio.

Quotuplex eſt cantus?

Duplex. Regularis & irregularis, ſive fictus.

Quid eſt cantus regularis?

Eſt in quo non committuntur conjuncta.

Quotuplex eſt cantus regularis?

Triplex. ♮duralis, naturalis, bmollis.

Quis eſt cantus ♮duralis?

Eſt qui duriter modulatur, habens Vt in, Γ G & g, & Mi in b fa ♮mi & in earum octavis. Et ſunt tres, ſcilicet: primus, ſecundus, tertius.

Quis eſt cantus naturalis?

Eſt qui naturaliter canitur, habens Vt in Cc. In b fa ♮mi nec Mi, nec fa puſtulat, quia in a & aa finem habet, & b ac bb, non attingit, & ſunt duo, ſcilicet: primus & ſecund.

Quis eſt cantus bmollis?

Eſt qui molliter & ſuavi concentu incedit, habens Vt in F, f, & ff. Et fa in b fa ♮mi. Et ſunt duo, ſcilicet: Primus & ſecundus.

Quo pacto agnoſcitur cantus?

Ex typo clavium, Vt, enim ubique principium eſt cantus. Fa medium, La finis.

Da verſus.

G, durum gignit, mediat C, perficit hunc E,
C, naturalem, mediat Ff, terminus eſt a.
Ff, mollem monſtrat mediat b, perficit hunc d.

Vel ſic:

C	F	G		*principium.*
In Ff natura,	*bbmol.*	*eq;*	*♮dural.*	*medium.*
A		d	e	*finis.*

♮durum triplico, reliquos cantus geminabo.

Eſtné omnis cantus propriè & per ſe vel ♮duralis, vel naturalis, vel bmollaris?

Nullo pacto. Sed omnis cantus eſt mixtus, nunc de na-

 turali

turali in ♮duralem, nunc rursus de ♮durali in bmollarem procedens, & contra.

Quis est cantus irregularis sive fictus?

Est qui ex conjunctis componitur, vel Est in quo committitur conjuncta, hoc est, in cujus solmisatione cantantur voces, quæ in clavibus non ponuntur. Vel est qui per voces fictas modulatur.

Quæ dicuntur voces fictæ?

Quæ cantantur in aliqua clave, in qua eßentialiter non ponuntur, nec ejus octava.

Quæ est conjuncta?

Est canere vocem in clave, quæ non continetur in ea.

Quotuplex est conjuncta?

Duplex. Tolerabilis & intolerabilis.

Quæ est conjuncta tolerabilis?

Est quando vox canitur in clave, quæ in ea non habetur, reperitur tamen in ejus octava, ut si canitur Mi in Are.

Quæ est coniuncta intolerabilis?

Est quando canitur vox in clave, quæ in ea non habetur, neque in ejus octava, ut si canitur Fa in Elami, & mi in Ffaut.

Quot sunt signa coniunctarum?

Duo ♮ quadratum, b rotundum: ♮ quadratum conjunctum fieri demonstrat in locis bmollaribus, Et bmolle in locis ♮duralibus. Vide Scalam.

Quare admittitur conjuncta?

Propter cantus neceßitatem & jucunditatem. Inferuntur.n.nonnunquam propter majorem cantus suavitatem,

Potestné conjuncta evitari?

Imò, per transpositionem cantus.

DE TRANSPOSITIONE.

Quid est transpositio?

Est clavis vel cantus à propria sede remotio. Hinc

transponere, est clavem vel cantum à proprio loco removere.

Quotuplex est transpositio?

Duplex. Clavis & cantus.

Quid est transpositio clavis?

Est clavis signatæ ob linearum inopiam, vel elevatio, vel depreßio.

Quotuplices ergo sunt claves?

Duplices. Signatæ & non signatæ.

Quæ est clavis signata?

Est quæ expreßè in cantus exordio ponitur atque signatur.

Quot sunt claves signatæ?

Quinque, Γut, Ffaut, csolfaut, gsolreut, ddlasol, signatur & bfa♮mi.

Quæ sunt claves non signatæ?

Reliquæ omnes.

Da regulas de clavibus signatis & transpositis.

PRIMA.

Claves signatæ ponuntur in linea.

II.

Clavium signatarum, altera distat ab altera per quintam dempta Γut, quæ ab Ffaut per septimam sejungitur.

III.

Γut, in pede clavium ponitur ob Græcorum reverentiam, à quibus Musica ad nos defluxit.

IIII.

Clavium transpositio cantum non reddit irregularem.

V.

Quantum clavis transposita ascendit, tantùm nota immediatè sequens, à suo situ descendit. Et contra, quantum clavis descendit, tantùm nota ascendit.

SCALA CLAVIVM SIGNATARVM.


Hac rariſſi. mè utimur.

Hac rariuſcule utimur

Hanc lineã veteres depinx: glauco colore.

Hanc lineã rubro pinxerunt.

Hac rariſſimè utimur.



Quæ eſt tranſpoſitio cantus?

Eſt conjunctarum evitatio: dum enim conjunctas vitare intendimus, cantum ex loco proprio ſui finis ſurſum ad quintam elevamus.

EXEMPLVM.



Da regulas de tranſpoſitione cantus.

PRIMA.

Tranſpoſitio eſt conjunctura remedium atque excuſatio.

SECVNDA.

Eædem voces poſt tranſpoſitionem cantandæ ſunt quæ antè canebantur.

TERTIA.

Omnis tranſpoſitio ex finali ad quintam propria miſſi-

nalem fiat, nisi neceßitate ad quartam fieri cogatur, ut in responsorio, Quæ est ista.

QVARTA.

Cantus transpositus habens mi in bfa ♮mi, exiens in a, est primi vel secundi toni. In c quinti vel sexti. In a, habens fa in bfa ♮mi, est tertii vel quarti.

QVINTA.

Cantica septimi & octavi tonorum non transponuntur

SEXTA.

In cantu transposito, natura cantus ex præsentia vel absentia b rotundi deprehenditur, in cantu non transposito.

DE MVTATIONE VOCVM.

Quid est mutatio Musica?

Est unius vocis in aliã in eadem clave, unisona variatio.

Quare mutatio est inventa?

Ob vocum paucitatem & cantus pluralitatem. Quando enim in cantu amplius ascendere vel descendere non possumus, tunc pro voce superiori inferior: & rursus pro inferiori, vox superior, recipienda est.

Quot sunt voces necessariæ ad mutationem?

Duæ: Mutata & Mutans.

Quæ est vox mutata?

Est quæ per mutationem relinquitur.

Quæ est vox mutans?

Est quæ loco vocis mutatæ aßumitur.

Quotuplex est mutatio?

Duplex: Vocalis & Mentalis.

Quæ est mutatio vocalis?

Est quando vox mutans & mutata ambæ exprimuntur.

Quæ est mutatio mentalis?

Est in qua una vocum canitur, & altera mente tenetur.

Quæ istarum mutationum est aptior?

Mentalis. Exprimere enim ambas syllabas, est notam

geminare, quod nec auribus gratum est, nec cantui conveniens. Imò in cantu mensurali omnino intolerabile, præsertim in figuris minutis, ubi notularum velocitas geminationem non admittit.

Da regulas mutationum.

I.

Nulla fit mutatio nisi necessitate cogente, quoties enim defecerit sex musicalium vocum progressio, necessario fit mutatio. *Versus.*

Nunquam mutabis nisi sit mutare necesse.

II.

Mutatio mentalis facienda est non vocalis, nisi duæ vel tres notæ ponantur in eodem loco mutabili.

III.

Clavis habens unam vocem, nullam admittit mutationem, quia idem non mutatur in seipsum. Sunt autem quatuor, Γut, Are, ♮mi, eela.

IIII.

Clavis habens duas voces, duas admittit mutationes. Primam in cantus ascensu. Secundam in descensu. Sunt autem octo. Cfaut, Dsolre, Elami, Ffaut, elami, ffaut, ccsolfa, ddlasol.

V.

Clavis habens tres voces, sex habet mutationes. Sunt autem sex. Gsolreut, alamire, csolfaut, dlasolre, gsolreut, aalamire.

Versus.

	Simpla,	*nulla.*
Si vox est	*Dupla,*	*tunc fit mutatio dupla.*
	Tripla,	*sena.*

VI.

In bfa♮mi & sua octava, nulla fit mutatio[illegible]um, quando bfa & ♮mi duæ claves sunt.

VII.

In clave unam vocem habente, tot poßunt fieri mutationes, quot in ejus octava.

VIII.

In cantu plano. infra Γ ut pergere non licet, nec ultra eela vagari. Sed in cantu mensurali sæpius extra extremas claves vagatur, & tunc ab octavis voces sumimus.

IX.

In cantus descensu, vox inferior in superiorem, in ascensu, vox superior in inferiorem vertatur.

X.

In mutatione syllabarum, utimur ferè duabus vocibus Re & La, Re ascendendo, La descendendo.

XI.

Voces bmolles in ♮ durales mutari non possunt, quia dissonant.

XII.

Voces naturales in ♮ durales & bmolles mutantur, quia ancipites sunt.

XIII.

Cùm cantus fuerit ♮ duralis, mutationes fermè omnes occurrunt in tribus clavib. D, d, a, aa, &c. Nonnunquam in G, sed raró.

XIIII.

Cùm cantus factus fuerit bmollis, mutationes omnes tribus clavibus captamus, scilicet: D, d, G, g, & aa. Ascendendo in g, & d, Re sumitur. Descendendo la in d & a. Hinc infra Γ ut canitur, Vt sicut in Ffaut. In Γ ut re, sicut in Gsolreut. In Are m, sicut in alamire. Omnes enim sunt octavæ, & de octavis idem est judicium.

XV.

In canticis primi vel secundi tonorum, si fit ascensus ab

alamire per unum gradum, & cantus mox relabitur ad Ffaut, tunc in bfa♮mi canitur fa. Si verò non cantetur mi, ut in Hymno ave maris ſtella.

XVI.

Cantus an fa vel mi in bfa♮mi habeat, ex b & ♮ deſcriptione cognoſcitur, ♮ namque mi, b fa re præſentat, principaliter tamen ex tono. Nam omnes toni in bfa♮mi, mi habent, exceptis quinto & ſexto tonis, qui fa poſtulant, niſi ♮ vel ſignum ✻ quod mi denotat, ſignatum fuerit.

XVII.

Non ſemper fit mutatio vocis in vocem, ſed fit ſaltus ſine mutatione de nota ad notam, præſertim in magnis ſaltibus, quemadmodum in Diapente & diapaſon contingit, ut ex Re in Re, ex Mi in mi, ex Fa in Fa, ex Sol in Sol.

EXEMPLVM.



XVIII.

Mutatio aptè inchoatur in tertia ante Fa, ſi adſit notula. Si non in ſecunda vel quarta poterit mutatio inchoari.

XIX.

Muſica ficta fingit in quacunque clave, quamcunque vocem conſonantiæ cauſa.

XX.

In cantu ficto præcipuè debet obſervari fa in a & E, & mi in Fa, &c. Sicq; facilè occurret tertia in qua re vel la accipiatur.

XXI.

In quolibet cantu tam ♮ durali quàm bmollari, quatuor ſunt mutationes, ad duas tamen reducibiles per quas quiſque cantus per ambitum ſuum ſufficienter poteſt ſolmiſari,

misari, inter quas prima & tertia sunt omnino similes cùm fiant in octava, sic secunda & quarta.

DE SOLMISATIONE.

Quid est solmisatio?

Est cujuslibet cantus per sex voces Musicales debita expreßio.

Quid est solmisare?

Est syllabas ac vocum nomina exprimere.

Quod modis potest cantus exprimi?

Tribus modis. Primo solmisando, quod tyronum est, ut canere adsuescant. Secundò sonos tantùm emittendo, quod canentium est in fidibus aut tibijs, ut auditores oblectent. Tertiò, contextum verborum applicando, quod piorum est, ut laudes Deo concinant.

Da regulas de solmisatione.

Prima.

Solmisans in primis tonum cantus respiciat necesse est, Qui enim cantum sine toni agnitiōe canit, idem facit quod is, qui Syllogismum extra modum & figuram componit.

Secunda.

Solmisans videat clavem in principio signatam, & ex ea consideret omnium linearum & spatiorum claves. Tum facilè inter solmisandum errores evitare poterit.

Tertia.

Solmisans, scalam sub qua cantus decurrit, vigilanter attendat: ne ex molli durum, aut ex duro mollem faciat.

Quarta.

Scala cognita, principium cantus intuendum est, quòd si in altum tendit, recipienda est vox inferior primæ clavis: si descendit, sumenda est vox superior ejusdem clavis.

Quinta.

Solmisans videat, an cantus regularis existat nec ne, Cantus enim transpositio, mutationis scalæ plerumque est

 occasio.

occasio. Nam variata scala, variantur & mutationes.

Sexta.

Omnis cantus in finalibus terminatus est regularis & non transpositus.

Septima.

In canticis irregularibus ad quintam transpositis, cantandum est mi in bfa♮mi in omni tono, nisi fa specialiter signetur.

Octava.

Omnes toni sub scala ♮durali currunt, præter quintum & sextum.

Nona.

Cantum sub scala ♮durali vel bmollari decurrere, nihil aliud est, quàm in bfa♮mi, vel fa canere.

Decima.

Solmisans diligenter respiciat bfa♮mi, in ea enim clave, totum negotium vertitur: Nam si ponitur b, cantandum est fa. Si verò ♮vel signum, cantandum est mi.

Vndecima.

In bfa♮mi & ejus octavis nunquam mutatur mi in fa, nec contra, quia sunt voces dissonæ & repugnantes.

Duodecima.

Signato fa in bfa♮mi vel quovis alio loco, si cantus ex ea saltum immediatum fecerit ad quartam vel quintam vel octavam, tunc necessariò cantandum est ibi fa, alioqui admitteretur tritonus, & deperderetur octava perfecta & quinta perfecta, quæ perargutè sonant.

Tredecima.

Quoties fa vel mi præter cantus naturam signatur, oportet solmisantem signaturam sequi quoad duraverit.

Quatuordecima.

In Ffaut nunqam canitur Vt, nisi Fa fuerit signatum in bfa♮mi.

Quindecima.

In csolfaut semper canitur fa, præterquàm in quinto & sexto tonis, tunc enim canitur sol.

Sedecima.

Sedecima.

In solmisando utimur duabus vocibus, Re & La, Re ascendendo, La descendendo.

Septemdecima.

In quartis, quintis, & octavis, fit saltus de mi in mi, de fa in fa.

Octodecima.

In octavis idem est vocum usus, & eadem mutatio. Ideo quæcunque vox canitur in una octava, canitur & in alia.

DE MODIS SEV INTERVALLIS MVSICALIB.

Quid est modus Musicalis?

Est soni acuti gravisq; distantia. Vel est vocis à voce penes descensum & ascensum distantia.

Quot sunt modi Musicales?

Novem: Semitonium, Tonus, Semiditonus, Ditonus, Diatesseron, Diapente, Semitonium diapente, Tonus diapente, Diapason.

Cur unisonum non adnumeras?

Vnisonus propriè non est modus, sed modorum principium, sicut unitas numerorum: Est enim Vnisonus fundamentum aliorum modorum, manetq; semper immobilis.

Quid est Vnisonus?

Est status vocis, neque in acutum, neque in gravē tendens. Vel est duarum vel plurium notarum in eodem loco conjunctio. Fit enim, quando in eadem clave eadem vox, iterum atque iterum repetitur.

Quid est Semitonium?

Est saltus de voce in vocem, per secundam imperfectam molliter sonans. Fitq; solùm ex mi in fa proximum, & ex fa in mi proximum.

Quid est Tonus?

Est saltus vocis à voce per secundam perfectam potenter sonans. Fitq; inter omnes voces, præter mi & fa. Tonare est potenter sonare.

Quid est Semiditonus?

Est intervallum vocis à voce, per tertiam mollem & imperfectam. Fitq; inter re fa, mi sol.

Quid est Ditonus?

Est dura & perfecta tertia. Fitq; inter Vt mi, fa la, habet duos tonos.

Quid est Diatesseron?

Est saltus de voce in vocem per quartam. Fitq; inter Vt fa, re sol, mi la.

Quid est Diapente?

Est saltus vocis à voce per quintam. Fitq; inter Vt sol, re la, mi mi, fa fa. Hinc quadrimodus dicitur.

Quid est Semitonium Diapente?

Est imperfecta sexta. Fitq; inter mi ex Elami ad fa in csolfaut, & econtra.

Quid est tonus Diapente?

Est sexta perfecta. Fitq; inter Vt ex Cfaut, ad la in alamire, & econtra.

Quid est Diaposon?

Est vocis à voce per octavam digreßio. Vel, est saltus per octavam. Fitq; septem modis. A qualibet enim litera ad sibi similem fit Diapason.

Suntné alii modi?

Imò: Tritonus, Semidiapente, Semidiapason, sed prohibiti & in musica plana admodum rari.

Quid verò sentiendum de modo Disdiapason?

Disdiapason est intervallum per decimam quintam, intra quod natura humanæ voci, quasi metam præfixit: usq; adeo, ut extra illius cancellos vox naturalis egredi nō possit. Et quotiescunque ultra præscriptos illius ascensus terminos sese extulerit, fictitia vox est.

Cur majores tantùm novem modos posuerunt?

Quia vox humana novem constat officijs, plectro lin-

gua,

guæ, pulſu quatuor dentium, repercuſsione duorum labiorum, in modum cymbalorum, cavitate gutturis, & adjutorio pulmonis, qui in modum follis, aerem recipit & remittit. Alij ad ſimilitudinem novem Muſarum Apollini dicatarum, novem modos enumerant, qui ſequenti cantilena continentur.



Ter trini ſunt modi, quibus omnis cantilena contexitur,



ſcilicet, Vniſonus, Semitonium, Tonus, Semiditonus, Ditonus,



Diateſſeron, Diapente, Semitonium cum Diapente,



Tonus cum Diapente, adhæc ſonus Diapaſon, Si quem



delectat, ejus huncmodum eſſe cognoſcat. Cumq; tam pau-



cis modulis tota harmonia formetur, uti-



DE TONIS MVSICALIBVS.

Quid eſt Tonus Muſicalis?

Eſt regula & diſpoſitio ſecundùm quam cantus ſuum curſum, naturam & melodiam dirigit. Vel tonus eſt regula cantum in fine dijudicans.

Ad quid valet agnitio tonorum?

Vt pueri totius cantus naturam, melodiam & ſolmiſationem ex ambitu toni accipiant. Non enim poßumus cantum aliquem artificialiter modulari, niſi prius cognoſcamus ejus tonum.

Quot ſunt toni Muſicales?

Apud Græcos tantùm fuêre quatuor, ſcilicet: Primus, ſecundus, tertius, quartus.

Quibus adhuc hodie voces quatuor finales correſpondent. Re, Mi, Fa, Sol. Latini verò cujus libet toni aſcenſum & deſcen-

& descensum considerantes, cuilibet subjugalem constitu-ere, unde octo emerserunt Toni apud Latinos.

Quare octo, & non plures, neque pauciores?

Non videtur incongruum, ut octo tonis omne quod canitur, moderetur, quemadmodum octo partibus orationis comprehenditur omne quod dicitur.

Quotuplices sunt Toni?

Duplices. Autenti & plagales.

Qui sunt toni Autenti?

Autenti, sunt de numero impari: ut, Primus, tertius, quintus, septimus.

Quare dicuntur Autenti?

Quia authoritatem ascendendi majorem habent cæteris, unde dicuntur Heriles & Clamosi.

Qui sunt toni Plagales?

Sunt de numero pari, ut secundus, quartus, sextus, octavus.

Quare dicuntur Plagales?

Quia magis prioribus descendunt quàm ascendunt, unde dicuntur subjugales, serviles, & humiles.

Quoties cognoscitur tonus?

Trifariam: Principio, medio, & fine.

Quomodo cognoscitur principio?

Quando mox in principio ultra notam finalem ascendit ad quintam, est Autentus. Cùm verò mox infra finalem ad tertiam vel quartam ceciderit, est Plagalis. Quando autem initium cantilenarum, erroneam & penitus hæsitabundam toni demonstrat agnitionem, tanquam non necessaria à doctis Musicis relinquitur.

Quomodo cognoscitur tonus medio?

Primò penes ascensum, cùm enim in medio octavam tetigerit, est Autentus. Si non Plagalis. Secundò, penes repercusionem. Habent enim singuli toni suas clausulas seu cursus, ex quib. solo auditu, cujus toni sit, cantus dignoscitur.

Repercuſsio toni quid eſt?

Eſt cujuslibet toni propria & certa melodia.

Repercuſsiones hujuſmodi quæ ſunt?

Habentur his verſibus.

Re la, ſit primi, re fa, dat norma ſecundi,
Mi mi dat ternus: mi la poſcit ſibi quartus.
Vt ſol quintus habet, ſextus fa la ſibi quærit.
Vt ſol tetartus, ut fa poſtremus habebit.

Tonus quomodo cognoſcitur in fine?

Quando in veris clauſulis finalibus terminatur. Et hic modus cognoſcendi tonos, eſt certior & perfectior alijs quẽadmodum & vulgò dicitur, In fine videtur cuius toni.

Tonorum fines quot ſunt?

Quatuor. D, E, F, G.

Fines quare dicuntur?

Quia omnis cantus regularis & non tranſpoſitus in his quatuor finibus finiri debet. Sunt enim literæ cãtuũ terminativæ, ideo & claves finales dicuntur & ſedes tonorum.

Quem dicis cantum regularem & non tranſpoſitum?

Qui in aliqua clave finali terminatur, nempe in D, E, F, G.

Quem vocas cantum irregularem & tranſpoſitum?

Qui extra claves finales exit, ſcilicet in a &c. rariſsimè in bfa♮mi, frequentiſsimè in cantu menſurali in G, non tamen abſque fa in bfa♮mi.

Fitné aliquando tonorum permixtio?

Imò, quando duorum tonorum Syſtemata in uno cantu concurrunt.

Cantus mixtus quis eſt?

Eſt qui ad octavam vel altius aſcendit, ut autentus, & ad quartam deſcendit, ut plagalis: ſicq; curſum autenti & plagalis ſimul uſurpat.

Quomodo cognoſcitur tonus in cantu mixto?

Bifariã. Primò penes melodiam vel clauſulas, vel repercuſsiones cantuum. Secundò penes aſcenſum vel deſcenſum.

In his canticis enim, finalis vox diligenter consideräda est, ad quem tonorum plus declinent. Dum enim ultra finalem mox ad quintam scandunt, autenti sunt. Cùm verò ad tertiam vel quartam infra finalem mox ceciderint, plagales dicuntur. Exemplo sunt: Fidelis sermo: &, O præclara.

Quis est tonus imperfectus sive neutralis?

Est qui non implet Diapason, qui ultra sextam non ascendit, nec ultra tertiam descendit, ut Respon: Ingrediente Domino in sanctam civitatem, &c.

Da regulas tonorum.

I. Omnis tonus, aut est autentus, aut plagalis.

II. Toni de numero impari sunt autenti. De numero pari sunt plagales. Autenti sunt: primus, tertius, quintus, septimus. Plagales: secundus, quartus, sextus, octavus.

III. Omnis cantus Canonicè terminari debet in his quatuor clavibus finalibus D, E, F, G.

IV. Tonus autentus & suus plagalis in eadem clave finiuntur, propter priscam ipsorum combinationem.

V. Omnis cantus exiens;

Desolre,		*Primi vel secundi.*
in Elami,	*est*	*tertij vel quarti toni.*
Ffaut,		*quinti vel sexti.*
Gsolreut,		*septimi vel octavi.*

VI. Autenti plus ascendunt quàm descendunt, plagales contra, plus descendunt quàm ascendunt.

Versus. Impar dat numerus Autentos. parq; plagales;
Autentos dominos dicas, servosq; plagales:
Autenti sursum scandunt, serviq; deorsum.

VII. Autenti supra finalem vocem Diapason contingunt nõnunquam decimam, infra eam nec Ditonum quidem. Plagales verò suprà finalem Diapente contingunt, infra eam Diateßeron.

VIII. Non oportet autentum semper ad Diapason scandere, & plagalem ad Diapente deprimi, sed intelligi debet, quod ascendendi & descendendi potestatẽ habeant.

IX. Quisque tonorum ferè Diapason complectitur, aliquando autenti vix ad sextam aut septimam ascendunt. Plagales contra vix ad tertiam descendunt. Nonnunquam cantiones autentorum ultra octavam prosiliunt ad decimam aut undecimam, dicunturq; toni plusquam perfecti.

X. Fit nonnunquam, ut duorum tonorum cursus clausulæ & repercußiones in una cantilena conjungantur, tum judicandus est tonus secundùm notam tenoris circaquam sæpius versatus fuerit.

XI. Autentorum cantica profundè: Plagalium acutè: Neutralia verò mediocriter intonari debent. Hæc enim in profundum, illa in acutum, ista verò in utrumq; tendunt.

XII. Attendant cantores ambitum tonorum, ne scilicet ita cantum incipiant, ut non tam canere quàm rudere videantur, & ficticia planè voce cantillent: neque ita vocem submittant, ut vix à seipsis exaudiri queant, voxq; in screatum quendam abeat.

DE AMBITIBVS TONORVM.

Quid est ambitus tonorum?


Est spacium toni pro ascensu ac descensu musicorum authoritate concessum.

Quot voces seu notæ conceduntur cuilibet tono?

Non plus quàm decem, in quibus cursum suum habeat, quas sic ordinant. Autentis unam vocem finali supponunt, octo supra ponunt. Plagalib. verò quatuor finali supponunt quinque supra. Licet nunc Neotericorum Musicorum luxurians licentia, undecimam cuilibet superaddat, ut patet in figurula sequenti.

AMBITVS TONI.

1 2 3 4 5 6 7 8.



1 2 3 4 5 6 7 8.

XIII. Quilibet tonus in suo cursu decimam exigit, nonnunquam undecimam.

XIV. Quatuor sunt claves finales vel chordæ stativæ, in quibus canticorum regularium finis quæritur, scilicet D, E, F, G: quæ verò extra has claves exorbitant, irregularia & transposita cantica vocantur.

XV. Quilibet tonus autentus subjugalem habet in sua clave finali.

ve finali: Primus & Secundus habent finem re: Tertius & Quartus mi: Quintus & Sextus fa: Septimus & Octavus sol. Neque incongruum, & prorsus absurdum est herum cum servo uno eodemq; contubernio teneri.

XVI. Non omnis cantus primi & secundi tonorum in D exit, sed nonnunquam in A, frequentißimè in cantu mensurali in G, non tamen absque fa, in B clave. Hoc faciunt Symphonistæ, ne voces extra Guidonis scalam exspaciari videantur.

XVII. Cantus transpositus mi habens in bfa♮mi, exiens in a, est primi vel secundi toni. In c, quinti vel sexti. Tertius autem & quartus in cantu regulari, nonnunqurm in bfa♮mi exeunt, in a verò aptißimè.

XVIII. Cantica septimi & octavi tonorum non transponuntur.

XIX. Cantus in Cfaut, aut Dlasolre terminatus, cantorum inscitia corruptus est.

XX. In cantu figurato non multum habet momenti, quæ clavis finem carmini imponat, dummodo vocis extremæ habeamus rationem. Si enim vox finalis fuerit Re, incunctanter scio eum cantum eße primi aut secundi toni. Si mi, tertij aut quarti.

XXI. In agnitione tonorum plus spectari debet usus quàm tot præceptiones pueriles.

DE TROPIS TONORVM.

Quid est Tropus?

Est breviuscula melodia, quæ in divinis canticis fini subiungitur, hac dictioue Evovae subscripta, quæ seculorum amen, omißis consonantibus, designat; vulgo Tenores tonorum vocantur.

Quare dicuntur Tenores?

A tenendo, quia totius cantus melodiam, cui adiudicantur tenere debent.

Habetné quisque tonus suum tropum?

Imò.

Ad quid conducunt hujusmodi tropi?

Vt cantus incepti harmoniam incorruptam contineant.

Quot sunt Tonorum tropi?

Octo, juxta numerum tonorum.

Tropi quotuplices sunt?

Triplices: Psalmorum, Responsoriorum & introituum.

Psalmorum tropi qui sunt?

Sunt formulæ quibus Psalmi exeunt.

Responsoriorum tropi qui sunt?

Sunt harmoniæ versuum responsoriorum.

Introituum tropi qui sunt?

Sunt melodiæ & progreßiones versuum in Introitibus.

Psalmi quibus in divinis utimur quotuplces sunt?

Duplices. Minores & Majores.

Minores Psalmi qui sunt?

Qui à regio Poeta creduntur editi.

Majores Psalmi qui sunt?

Qui ex sacro Evangelio deprompti sunt, ut canticum Zachariæ, Benedictus Dominus Deus: Et canticum divæ Virginis, Magnificat anima mea, &c. Luc: 1.

Psallere quid est?

Est cum quodam jubilo laudes Deo Opt: Max: decantare

Habentné Psalmi suas intonationes?

Imò.

Da regulas de intonatione.

I.

Omnes Psalmi majores cum ascensu, minores absque ascensu intonandi sunt.

II.

Dictiones Hebraicæ & barbaræ, in medio accentu acuto sunt proferendæ.

III.

	Primi	alamire.		Ffaut.
	Secundi	Ffaut.		Cfaut.
Intonatio	Tertij	Cſolfaut.		Gſolreut.
Pſalmo-	Quarti toni fit in	alamire.	Maio-	Elami.
rum Mi-	Quinti	cſolfaut.	rum	Ffaut.
norum	Sexti	alamire.		Ffaut.
	Septimi	dlaſolre.		Bfa♮mi.
	Octavi	cſolfaut.		Gſolreut.

DA TROPOS PSALMORVM.



Primi toni.



Secundi.



Tertij.



Quarti.



Quinti.



Sexti.



Septimi.



Octavi.



Peregrini.



In exitu Iſrael de, &c.

Quare

Quare hic tonus dicitur peregrinus?

Quia in concentibus nostris, rarus admodũ ac peregrinus est. Habentné toni suas differentias?

Habent quidem, sed non est operæ precium ipsis longum adhibere studium, quando quidem non sunt apud omnes eædem. Præterea non sunt de tonorum essentia, cùm quilibet cãtus secundùm principalem tropum decantari poßit.

Cur autem repertæ sunt?

Vel pro indoctis, vel ornatus gratia, ut facilior & suavior sit canticorum inceptio, nos eas silentio transibimus.

Da intonationes Psalmorum minorum.

Psalmi primi & sexti tonorum concordant in principio, & discrepant in fine.



Dixit Dom: Domino meo, sede à dextris meis.



Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.

Psalmi secundi vel octavi tonorum concordant in principio, sed discrepant in fine.



Laudate pueri Dominum. laudate nomen domini.



Laudate pueri Dominum, laudate nomen domini.

Pſalmi cæt: tonorum diſcrepant & in principio & in fine.



Lauda Hieruſ. Dominum, lauda Deum tuum Syon.



Laudate pueri dominum, laudate nomen domini.



Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.



Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Syon.

Da intonationes Pſalmorum Majorum.



Magnificat anima mea dominum. Benedictus.



Magnificat anima mea dominum. Benedictus.



Magnificat anima mea dominum. Benedictus.



Magnificat anima mea Dominum. Benedictus.



Magnificat anima mea Dominum. Benedictus.



Magnificat anima mea Dominum. Benedictus.



Magnificat anima mea Do. Benedictus.



Magnificat anima mea Do. Benedictus.

Tantùm de psalmis.

Da tropos versuum responsoriorum.



Fuit homo mi ssus à De o.




Disper sit dedit pau pe ri bus.



Musici recentiores, has versuum harmonias non admodum respiciunt, de quo non est quod magnopere angaris.

Da tropos versuum introituum.




Evovae.
Seculorum amen.
Evovae.
Evovae.
Evovae.
Evovae.
Seculorum amen.
Mihi autem.
In nomine Iesu.
Resurrexi.
Loquebar.
Os iusti.
Puer natus est.
Benedicta sit.

DE ACCENTV MVSICO.

Quid est accentus?

Est melodia quæ dictionum syllabas juxta accentus sui naturalis exigentiam, regulatè pronunciat.

Quotuplex est accentus Musicus?

Duplex: Gravis & acutus.

Quis est accentus Gravis?

Est finalium dictionum secundùm Ecclesiæ ritum regulata depreßio. Hæc autem depreßio finalis fit dupliciter: Aliquando per quintam, tunc propriè dicitur accentus gravis: Aliquando per tertiam, tunc vocatur accentus medius

DA EXEMPLVM.

Medius. *Gravis.*



Parce mihi domine, nihil enim sunt dies mei.

Quid est accentus acutus?

Est finalium dictionum, secundùm Ecclesiæ ritum, regulata elevatio. Hæc elevatio quoque finalis fit dupliciter: Aliquando ad locum sui descensus reducitur finale. tunc vocatur propriè accentus acutus: Aliquando reducitur finale, non ad locum sui descensus, sed infra ad secundam, tunc vocatur accentus moderatus.

EXEMPLVM.

Moderatus.



Surge illuminare *Hierusalem.*

Acutus.

Acutus.



Et gloria Domini super te orta est.

Da regulas de accentu Musico.

I.

Dictiones monosyllabæ, item barbaræ, Græcæ, Hebraicæ, Latinam inflexionem non habentes, acuuntur: ut, me, te, se, nos, vos, sum, est.

Ascaroth, Senacherib, Babylon, Abraham. Hinc excipiuntur encliticæ dictiones, que, ve, ne, quæ habent accentum gravem.

I I.

Accentus gravis & acutus in fine completæ sententiæ proferuntur. Moderatus verò & medius in fine incompletæ sententiæ exprimuntur.

EXEMPLVM.

Moderatus.



Lignum, ha. spem. Si præcisum fuerit rur. virescit.

Medius.



Et rami ejus pullulant.

I I I.

Oratio quæsitiva sive habeat in fine dictionem monosyllabam, sive dissyllabam, sive polysyllabam, accentus semper cadit in ultimam, & illa debet acui.



Vnde tu es? Quid est homo?




Quantas habeo iniquitates & peccata.

IV.

Dictio dissyllaba accentum recipit in prima, sive ea syllaba sit longa, sive brevis.

EXEMPLVM.



Et fugit velut umbra.



In amaritudinibus ora. oculus meus.

V.

Dictio polysyllaba habens penultimam longam, acuit eandem. Si verò habet penultimam brevem, acuit antepenultimam.

EXEMPLVM.



Si præcisum fuerit rursum vir. Et rami eius pullulant.

VI.

VI.

Gravis accentus non debet repeti, nisi oratio adeò sit brevis, ut alius intervenire non poßit.

EXEMPLVM.



Factum est vespere & mane dies primus.



Dixit quoque Deus.

Epistolarum & Evangeliorum accentus non idem est apud omnes Diœceses & Ecclesias. Quare ne pueros diètiùs moremur, silentio transibimus: Frugi lector, hoc quicquid est, boni consule.

DOMINO IOANNI SPANGENBERG, Ecclesiastæ Northusiano,

IOANNES STIGELLIUS.

Forsan ut ista legis modico signata papyro,
Vnde tibi hæc veniat litera missa, rogas?
Non aliquo, fateor, tibi consuetudinis usu,
Nec benè de facie cognitus ante fui:
Cùm tamen ingenuis faveas Spangberge Camœnis,
Hoc rude quas odio tempore vulgus habet:
Cumq; sibi quiddam tribuant commune poetæ,
Non minimus quorum tu quoque sacra colis;
Hinc mea musa tuæ sermonibus excita famæ,
Poscit amicitiæ fœdera firma tuæ.
Quàm mallem præsens animum præsentis amici
Alloquio poßem demeruisse meo!
Est aliquid, placidæ commercia dulcia vitæ
Affectu coram conciliare pari.
Cultor Apollonij fuit olim absentis Iarchas,
Gratior huic præsens. sed tamen ille fuit.
Aut tua me vestras Northusia sumat in oras,
Aut te Saxonicis hic alat Albis agris.
Sed cum diversis duo corpora simus in oris,
Iungere fortè animos hæc quota charta potest.
Edita qua decuit tua carmina mente relegi,
Quæ sunt judicio sæpe probata meo.
Laudo, quòd oppressus tantarum turbine rerum,
Hac tamen Aonidas sedulitate colas.
Nam quamvis sacri tractes mysteria verbi,
Per sese magnum quod satis esset onus:

Te tamen

Te tamen hanc etiam juvat exercere palæstram,
Et patet in curas area nostra tuas.
Nam nihil ut melius, benè quàm docuisse juventam,
Sic nihil eloquio dignius esse potest.
Et quoniam teneris juvenum quod quisque sub annis
Imbibimus, canos durat ad usque pilos:
Omnibus hîc opus est vires intendere nervis,
Crescat ut admonitis ducta juventa pijs.
Cujus enim instruitur vera pietate juventus,
Non adversantes urbs habet illa deos.
Vrge igitur tua cœpta tuis pro viribus, & qua
Iam bene cœpisti pergere, perge via.
Sic ubi provecta referes ætate senectam,
Clarebunt studij commoda magna tui.
Sic tua venturis commendans nomina seclis,
Cantabit laudes patria terra tuas.